

*De vi et auctoritate sanctionis Matthianae, maxime post legem Saxoniam Electoralem, de tempore curae absentium contrahendo, brevis disputatio. Praemissae sunt iuris statutarii Gorlicensis et Saxonici Electoralis recentissimi, quoad successiōnem in bona absentium, differentiae.*

Constitutionis Matthianae historia et fatis enarratis eiusque causis et vera mente, quantum patiebatur virium modulus, expositis, reliquum est, ut, quod nonnullis caput rei videatur, de usu eius et auctoritate, non, quae olim fuit inter Gorlicenses, summa profecto, sed quae nunc est, vel, veritate iuris spectata, esse debet, breviter et strictim disseramus. Sed ne vaga erret nostra oratio, dissertationis nostrae argumentum, quōdnam futurum sit, accuratius significandum. Profecto nostram legem aliquando, id est, per bina fere secula, apud populares meos, in magno pretio habitam, et, in rebus causisque definiendis, uti par erat, servatam, et custoditam fuisse, non est, quod hic, multorum testimoniis congestis adfir-